

† R. P. Augustinus Clark (1887-1949)

(Prov. Angl.)

Die 2 Martii, qui erat feria quarta Cinerum, die quando mater nostra Ecclesia omni fideli cineres benedictos recipienti dicit: «Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris», mors ad R. P. Augustinum Clark venit.

Pater eius acatholicus et mater pia catholica in Sheffield, in comitatu Eboraci, vulgo nuncupato *Yorkshire*, habitaculum habuerunt, quando noster Augustinus die 24 Octobris anno 1887 natus est. Studia primo in Sheffield, post in schola S. Raphaëlis in Bellingham Hereford, denique in Gallia, ubi bene addidicuit linguam gallicam, tandem in iuvenatu nostro Norden prope oppidum Rochdale, quae domus postea derelicta est, cum distinctione persolvit.

Anno 1908, die Augusti 15, vota emisit in domo nostra Bishop Eton Liverpolii, ubi perdurante uno anno novitus fuerat.

Studia theologica in domo nostra apud Perth in Scotia, iterum cum distinctione, peregit, et ibi die 21 Septembris 1913 ordinem sacerdotalem recepit. Paulo post ordinationem communitati Bishop Eton adscriptus est. Sed, proh dolor! mox in pedibus eius paralysis apparuit, quae infirmitas tristissima, paene omnibus remediis medicorum peritorum frustra adhibitis, per annos sequentes gradatim increscebat, et attingens inferiores partes totius corporis, Pater noster amatus vere paralyticus factus est. Fretus adiutorio baculi cum difficultate ambulare potuit, in terram saepe cecidit, et assistentiam Fratris laici in cubiculo suo constanter requisivit. Causa huius calamitatis videtur fuisse ictus accidentalis, receptus a pila solida ac dura, in cursu exercitii corporalis, quando erat in studentatu.

Sed per 35 annos se ostendit valde utilem; nam sub directione Superiorum muneri docendi linguam Latinam, Graecam et Gallicam, in quibus sollers erat, pueros in iuvenatu nostro cum benevolentia et alacritate se dedit. Officio confessarii in ecclesia nostra saepe perfungebatur, et numerosi fideles neconon Sacerdotes huius rei causa ad eum in Bishop Eton venerunt.

Aerumnas varias suae infirmitatis cum patientia mira et vera hilaritate pertulit usque ad diem, quando solatium bonae mortis in Congregatione nostra dedit ei Deus.